

get in aliud, quia a proportione minoris æqualitatis non fit actio, et sic illud minus non reagat; si autem æqualis virtutis sint, mutuo se impediunt, ergo nunquam dabitur reactio, et repassio, quia semper actio est a proportione majoris inæqualitatis; et de igne dicit Aristoteles II de partibus animi, c. II, quod nunquam est frigidus, ergo saltem ignis non repaliatur. Et confirmatur, quia in aliis motibus, ut locali, et augmentationis non est necesse dari actionem, et repassionem, si enim manus movet lapidem non est necesse moveri ab eo, et quod crescit in augmentatione, non decrescit ex alia parte per diminutionem, ergo nec erit idem in motu alterationis.

Respondetur quod agens in æquale reagit in aequale fortius, non quatenus agens est, sed ut in potentia existit respectu qualitatis contrarie, et respectu talis potentie agens illud remissum fortius est in activitate. Sed tamen quia in agendo, simpliciter aliud agens est fortius, ideo agens minoris activitatis non agit simpliciter in aliud, sed agit remisse, et imperfecte et in corrupti, siquidem debilitatur, et destruitur a fortiori agente, et talis modus agendi potest esse a minori activitate. Quod si dicas: Quomodo frigidum ut quatuor potest diminueri de calido ut octo ipsum gradum octavum, qui cæteris est perfectior, siquidem reducit calidum ut octo ad calorem ut septem, et ut sex, ergo tollit gradum octavum, respondetur, quod licet gradus ut octo, vel unio ut octo sit perfectior cæteris, tamen hoc ipso quod perfectior est, necessario compatitur minus de opposito, et destruit non solum id quod majus est; sed etiam quod minus de forma opposita, si autem aliquid de ipsa compatitur hoc ipso minus perfectionis habet. Et sic mi-

nor gradus non opponitur, nec destruit minorem oppositum, quin potius cum eo compatitur cum simul sint in gradibus remissis, sed opponitur perfectiori, ut perfectior est, et imperfectum excludit.

Ad id vero quod Aristoteles dicit de igne, quod non dicitur frigidus, intelligitur quantum ad denominationem, sicut aqua dicitur calida etiam denominative, eo quod frigus nunquam potest prædominari igni, sicut calor aquæ, ut ab ea denominetur frigidus, quia semper denominatio fit ab excellentiore prædominante, bene tamen potest ignis recipere aliquid frigoris, alias nunquam extingueretur, si oppositam dispositionem non susciperet.

Ad confirmationem respondetur in aliis motibus non semper dari contrarium agens a quo fiat reactio, nec enim si ego projicio lapidem, necesse est quod lapis habeat vim motivam respectu mei, nec est necesse, quod quando aliquid augetur agendo in alimentum, ipsum alimentum habeat vim diminuendi id a quo immutatur. Et ideo non semper sequitur in aliis motibus repassio; sicut inter qualitates contrarias, quæ ad invicem agunt ratione contrarietatis activæ.

QUÆSTIO VI.

DE MIXTIONE.

Quia mixtio fit per mutuam actionem et repassionem, ideo valde affinis est mixtio actioni, et reactioni, et sic agimus de illa, antequam de rarefactione, et condensatione.

ARTICULUS I.

Quid sit mixtio, et quomodo fiat.

Communis et accepta mixtionis definitio est, quod mixtio est *misci-*

bilium alteratorum unio, quam definitionem tradit Philosophus in hoc libro de Gener. cap. x, et ibi D. Thomas lect. xxv, et communiter Philosophi consentiunt.

Pro qua definitione explicanda, duo advertent. Primo, quod mixtio dupliciter fieri potest, uno modo improprie, et large pro omni conjunctione aliquorum in unum, etiamsi ex illis non fiat unum simpliciter, quod potius est constipatio quædam plurium, quam vera mixtio, fit enim per juxtapositionem partium minimarum congregatarum in unum, sicut cum diversa grana miscentur, hoc est, simul confuse aggregantur, ut farina hordei, et tritici, vel alia grana minuta; secundo modo sumitur mixtio stricte et rigore, prout non solum aggregantur plura per juxtapositionem in uno loco et constipationem, sed per veram unionem, hoc est, resultantiam unius per se; et ad hoc requiritur mutatio extremorum, ut non maneat unumquodque in se ipso. Primo modo aliqui ex antiquis acceperunt mixtionem, ut referi et impugnari Aristoteles loco citato tex. LXXXV et LXXXVI, quæ tamen non est proprie mixtio, sed aggregatio multorum, quia quodlibet granum, vel qualibet pars minima non manet continuata alteri, sed contigua et seorsum separata, mixtum autem quod simpliciter est, tale debet esse ejusdem rationis in toto, et in parte, et consequenter habere partes continuas, in illa autem mixtione quælibet pars minima conservat suam speciem, non ergo ex illis fit mixtum, sed aggregatum, ergo neque ibi est vera mixtio.

Secundo est notandum, ad mixtionem rigore dictam quatuor requiri conditiones. Prima, perfinet ad substantiam. Secunda, ad quantitatem. Tertia, ad qualitatem. Quarta, ad ubi. Prima est, quod mixtio præsupponat diversas substantias

ex quibus fiat et tendat ad unam quæ ex illis faciendâ est, hoc enim est quod dicit Philosophus loco citato, text. LXXXII, quod oportet miscibile esse separabile, si enim separata non essent, non oporteret mixtionem facere ex pluribus. Quod vero tendat ad unum patet, quia si unum non fierent, mixtio non esset, sed vel aggregatio multorum, vel generatio simplex unus ex alio, non mixtio, quando enim elementum generatur ex aliquo, non est ibi mixtio, quia non fit mixtum, eo quod non generatur ex pluribus inter se immutatis, et unis, sed potius resolutis in tale elementum. Secunda conditio est ex parte quantitatis, requiritur enim ad mixtionem quod miscibilia mutuo dividantur ad hoc, ut unum intret per partes alterius, quia si extra manet, poterit quidem alterare vel generare ex illo aliquid, sed non misceri cum illo; unde quando duo liquores miscentur, videmus unum dividere alterum, et permeare illud, et Aristoteles in textu ultimo hujus capituli decimi inquit, quod oportet miscibilia esse terminabilia et passiva, hoc autem ut ait D. Thomas est bene terminabile, quod est bene divisibile in parva, sicut corpora humida, quæ ideo sunt magis miscibilia. Tertia conditio est ex parte qualitatis, quod scilicet sint activa, et passiva secundum qualitates, non ita tamen quod unum prædominetur alteri, adeo ut trahat illud ad se tantam partem, sicut fit in augmentatione, sed requiritur quod ex utroque fiat unum tertium temperamentum; et ideo requiritur ista qualitatum activitas et passibilitas, quia quando ex elementis fit mixtum vel ex liquoribus, non debent manere qualitates in toto suo vigore et cruditate, sicut sunt in elementis, sed temperari ad invicem, et sic requiritur mutua alteratio, sicut explicat

Philosophus loco citato, textu LXXXIX et D. Thomas ibi lect. xxv. Quarta denique conditio tenet se ex parte ubi, scilicet quod conveniant in unum locum miscibilia, alias non fiet mixtio, nec resultabit unum, nec dabitur mutua actio et passio, si non applicentur localiter in uno loco. A quo autem agente fiat mixtio præsertim elementorum, dicemus respondendo ad argumenta.

His positis, DICO PRIMO: Datur de facto mixtio qualis a nobis explicata est. Ita Aristoteles contra aliquos antiquos, qui mixtionem negabant, ut patet in textu LXXXIII, ubi pote si videri D. Thomas et constat tum experientia, quia videmus multa ad invicem misceri, id est, ex pluribus in unum tertium convenire, ut ex variis liquoribus in quibus simplicia non penitus extinguuntur quoad virtutem, licet formæ substantiales non remaneant, quod est signum manifestissimum mixtionis, in generatione enim quæ mixtio non est, unum penitus extinguuntur quoad formam et virtutem, sicut si ex terra fit ignis nihil de terra manet, si gutta vini cadat in fluvium, nihil de vino manet, et ideo illa non est mixtio, sed simplex generatio, ergo ut mixtio sit aliquid manere debet; tum etiam, quia videmus corpora aliqua non esse simplicia, sicut elementa, sed mixta seu composita, siquidem in eis invenitur aliquid de omnibus elementis, videlicet qualitates elementales, ergo oportet quod talium corporum generatio sit mixtio non simplex generatio; tum denique, quia in corporibus datur mutua actio, et reactio, ut in questione præcedenti ostensum est, ergo oportet dari mixtionem, siquidem ex ista mutua reactione ipsæ qualitates misceantur, et temperantur, ergo tanta potest esse corruptio, quod illa corpora non maneat, in suo statu, nec cum debitis dispositionibus, et con-

sequenter quod fiat aliquid tertium ex illis, quod est mixtum. Quod si inquiras, an omnia quatuor elementa concurrant ad compositionem mixti, de hoc dicemus amplius, quæstione XI, non enim desunt qui id negent solum, qui existimant ignem non posse descendere ad locum mixti, id est, ad terram, ubi fiunt mixta, quia alias ignis violenter moveretur. Sed tamen hoc fundamentum debile est, tum quia in terra verus datur ignis, qui non est mixtum, sed corpus elementale, licet non ita purum sicut in sua sphaera, ergo ex illo possunt mixta generari; tum quia non repugnat aliquam exhalationem inflammari sursum ab igne elementali, et decidere in alias exhalationes, aut etiam usque ad terram, sicut fulmen, quæ licet sint exhalationes ignitæ, tamen secum deferunt ignem, cum videamus comburere, et inflammare multa ergo non est negandum posse ignem descendere, et in mixtis ex tali inflammatione generatis virtualiter manere, et ad alia communicari.

DICO SECUNDO: Optima est definitio Aristotelis, tradita de mixtione. Eam acceptant communiter omnes Philosophi, licet non defuerit aliquis, qui illam reprehenderit tanquam vitiosam, eo quod traditur per æque ignotum, scilicet per miscibile tam ignotum est enim quid sit miscibile, quam quid sit mixtio; et quia in ea circulus committitur, quia mixtio definitur per miscibile, et miscibile per mixtionem. Cæterum conclusio nostra manifesta est, quia per hanc definitionem explicatur natura mixtionis, ut distinguitur a simplici generatione quæ simpliciter fit ex uno quod corrumpitur, sicut cum ignis generatur ex ligno. At vero in mixtione datur generatio ex contemperatione, et congregatione aliquorum quæ inter se divisa sunt, unde oportet fieri per modum

unionis seu congregationis contemperantis, et conjungentis multa divisa in unum tertium. Unde hæc definitio præsupponit definitionem generationis substantialis in communi, scilicet quod sit mutatio de non esse substantiali ad esse substantiale in materia, explicat autem id in quo differt generatio mixtiva a simplici generatione non miscente, neque congregante aliqua, ex quibus unum tertium formetur. Et ideo D. Thomas in hoc primo libro de Generatione lect. xxv, in fine explicans hanc definitionem Aristotelis dicit: « Quod mixtio est miscibilium alteratorum corruptorum secundum formas, unio. » Itaque ly unio idem est quod actio congregativa seu factiva unius ex multis substantialiter, et ita non significat unionem materiæ cum forma quæ est communis omni generationi, sed ex pluribus quæ corrumpuntur contemperantur, et congregationem in unum, et ideo requiritur, quod alterentur miscibilia, non quacunque alteratione, sed corruptiva illorum, et redigente illa ad unum tertium.

Sic ergo, in ista diffinitione tria essentialiter requisita ad mixtionem explicantur, scilicet ex parte termini *a quo*, ex quibus fiat; ex parte termini *ad quem*, quid fiat; ex parte actionis, quomodo fiat, quod est plene explicare mixtionem. Ex parte termini *a quo*, quod non fiat ex uno tantum quod totaliter corrumpatur, sed ex pluribus miscibilibus, id est, in se quidem distinctis, sed in unum congregabilibus. Additur *alteratorum*, propter duo. Primo, ut intelligatur quod mixtio primo et per se debet fieri in qualitatibus, quæ alteratione ipsa confunduntur, et in unam virtutem seu qualitatem mediam conveniunt, hæc enim debet manere in mixto, si verum mixtum fiat, ad distinctionem eorum quæ

miscentur sine alteratione solum per divisionem minimarum partium simul congregatarum. Secundo, ut significetur talis alteratio quæ sit corruptiva miscibilium, ut ex D. Thoma advertimus, alias non fieret unum ex ipsis miscibilibus. Ex parte termini *ad quem* explicatur, quod fiat unum tertium ex illis, et non quodlibet eorum maneat. Ex parte etiam actionis seu modi procedendi significat ipsa unio actionem mixtivam, id est, quæ non solum sit unitiva formæ, et materiæ, sed congregativa plurium miscibilium in unum.

Ex quibus colligitur quomodo mixtio differat a generatione substantiali, et quomodo illam includat; differt enim a generatione substantiali simplici, non a generatione substantiali communiter dicta, quam tanquam genus includit, addit autem supra generationem simplicem fieri per modum unitivi, et congregativi, manentibus qualitatibus ad medium reductis. Et quando Philosophus probat mixtionem differere a generatione, non loquitur de generatione in genere, sed de generatione simplici, quæ est species generationis, et nomine generationis absolute nominatur, sicut dispositio dicitur species condivisa contra habitum, cum tamen etiam detur dispositio generica ad habitum. Nec propterea negandum est dari formam substantialem in mixto cui qualitas temperata debita sit, nam ut docet S. Thomas IV contra Gent. c. lxxxv: « Forma mixti dupliciter intelligi potest, uno modo, ut per formam mixti intelligatur forma substantialis corporis mixti. Alio modo dicitur forma mixti, qualitas quadam composita, et contemperata ex mixtione simplicium qualitatum, quæ ita se habet ad formam substantialem corporis mixti, sicut se habet qualitas simplex ad for-

mam substantialem corporis simplicis. » Atque ita mixtio non ad solam qualitatem terminatur, sed ad substantiam, et ita differt ab alteratione, quia non solum illam præsupponit, sed etiam simplex dicitur illa, quæ vel general corpus simplex, scilicet elementum, vel quæ generat modo simplici, id est, non per congregationem et temperationem multorum, sed simpliciter corrupendo unum et generando aliud, sicut si gutta aquæ injiciatur in magnam quantitatem vini, non fit ibi unum tertium ex miscibilibus, sed ex uno fit aliud, scilicet ex aqua vinum.

Unde colligitur Philosophum non definisse mixtionem per aliquid ignotius, nam miscibile prius explicavit per suas condiciones, deinde mixtionem per miscibile. Et similiter non commisit circulum, quia miscibile non per mixtionem ipsam notificavit præcise, sed per alias condiciones ad miscibilia requisitas, ut constat ex textu, et sic potuit Aristoteles per miscibile jam aliunde explicatum mixtionem explicare.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Ad probandum mixtionem non dari in rerum natura argumento illo antiquorum, quia vel corrumpuntur miscibilia ad mixtionem, vel non: si non corrumpuntur, ergo non magis sunt mixta quam prius, sed solum congregantur in unum, non fiunt unum; si corrumpuntur, ergo ex illis non fit mixtio, quia ex non entibus non fit mixtio. Confirmatur, quia mixtio, vel fit per divisionem partium vel per penetrationem, hoc secundum naturaliter esse non potest: primum vero si fiat, imprimis solum mixtio erit per juxtapositionem unius par-

tis ad aliam; deinde vel solvitur continuum in omnem suam partem vel non. Primum esse non potest, quia quælibet pars est divisibilis, et sic non potest dividi in omnem suam partem, ita ut amplius dividi non possit; nec secundum, non est major ratio cur dividatur in istas partes, quam in illas.

Respondetur miscibilia corrumpi formaliter, sed manere virtualiter in mixto ratione qualitatum; et mixtio fit ex miscibilibus quæ actu existunt in principio, quando mixtio inchoatur, non existunt autem in termino quando generatur mixtum ex illis corruptis. Ad confirmationem respondetur mixtionem fieri per divisionem in partes minimas, nec tamen una solum manet juxta illam, sed agit in illam, quia actio et reactio facilius transmutat rem sic divisam et comminutam in partes minimas, et inde resultat forma mixti. Quando autem quaeritur an dividatur in omnem suam partem, respondetur non dividi in omnem suam partem quasi mathematicæ, hoc enim est impossibile, sed omnis pars sit semper divisibilis, sed solvitur in partes minimas naturales, in quibus scilicet conservari potest species talis corporis, ut ad invicem agant; aliquando etiam fiet in majores partes, prout agens, a quo fit mixtio, magis vel minus comminuerit illas, et materia ipsa patitur, et ad mutuam actionem, et reactionem sufficit.

Secundo arguitur: Mixtio quæ fit ex elementis non est naturalis, neque violenta, ergo nulla. Non est violenta, quia sic non esset a natura ordinata ad producenda corpora mixta, nec productio mixti esset productio rei naturalis. Non est naturalis, quia elementa aliqua debent extra locum suam poni, ut ex eis fiat mixtum, sicut aer et ignis debent descendere

ad locum inferiorem, ubi fit mixtum, et præsertim non apparet, quomodo mixta quæ fiunt intra mare ex concursu aeris, et ignis geri possint. Confirmatur, quia si elementa conveniunt ad mixtionem, oportet quod moveantur ad locum, in quo fit mixtio ab aliquo movente; non a se, quia de se unumquodque elementum tendit ad suum centrum, non ad locum cujuseunque mixti, neque elementa intendunt formam mixti, sed suam propriam generare quantum est de se, præsertim cum elementum sit imperfectius quam mixtum, et sic non potest ex propria virtute intendere ejus generationem et se movere ad illam, neque moventur elementa ab alio mixto, quia loqui possumus de primo mixto, quod factum est ex elementis, et non supposuit aliud prius mixtum, a quo moventur elementa; neque moventur a cælo, quia est causa universalis, et remota, nec potest esse immediata causa omnium mixtorum, ut patet in animalibus perfectis.

Respondetur mixtionem esse naturalem utpote a natura ordinatam, et ad naturalis entis productionem terminatam. Nec obstat, quod alicui elemento fiat violentia, quia hæc violentia tenet se ex parte elementi, quod corrumpitur, et transit in mixtum, non autem ex parte ipsius mixti, quod producit; nullum est autem inconveniens, quod in generatione naturali corruptum aliquam patitur violentiam, licet enim sit violentia respectu corrupti, est tamen naturalis materiae, et ad bonum universi ordinata et ita simpliciter est naturalis mixtio, licet præsupponat aliquam violentiam ex parte ejus, quod corrumpitur. Nec est necesse, quod elementa omnia formaliter intrent in quemcunque locum ubi formatur mixtum, sufficit quod virtualiter, et per suas qualitates in-

trent, sicut in profundo maris invenitur calor in piscibus ad operationes vitales, qui calor est virtus quædam ignis, et potest participari a cælo.

Ad confirmationem respondetur, quod elementa ex propriis non moventur ad mixtionem, bene tamen a causa superiori, v. g. a cælo, vel a Deo, qui in principio produxit omnia mixta ex elementis, et licet aliqua dicantur facta esse ex aqua vel ex terra, non propter hoc tollitur, quod omnia elementa saltem virtualiter concurrant ad mixta, cum etiam in piscibus ut diximus invenitur calor, qui est virtus ignis, sed dicuntur fieri ex illo elemento, quod magis prædominatur in tali mixto, de quo D. Thomas 1 p. q. LXXI, in corpore et ad primum.

Ad instantias autem confirmandas respondetur, quod elementa secundum se, et ex propriis solum moventur ad suum centrum, et ad generandum suum simile, tamen ex impressione causæ superioris potest agere ad productionem mixti, sicut sola terra non germinat herbam nec producit metalla, sed ex impressione cæli. Et quando dicitur, quod cælum est causa universalis, et remota, et non potest in omnia mixta, respondetur quod respectu aliquorum mixtorum est sufficiens causa ut respectu herbarum, et metalli, et similibus, respectu vero animalium perfectorum non est causa sufficiens, et ita oportuit quod prima animalia producerentur a Deo, deinde cælum cum prædictis animalibus concurrat ad generandum.

Tertio arguitur, contra definitionem mixtionis: Quia unio non est aliquid præter relationem, ut diximus in quæstione VI Physicor. sed relatio non pertinet ad speciem generationis quæ est actio, ergo mixtio quæ est species generationis inconvenienter definitur per unionem.

Confirmatur, quia mixtio differt a simplici generatione ex parte termini *ad quem* seu formæ ad quam terminatur, scilicet ad formam mixti, ergo sicut generatio definitur, quod est transitus a privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia, ita mixtio quæ est species generationis deberet definiri quod sit transitus a privatione formæ mixti ad formam mixti, non autem per hoc quod sit unio, formaliter enim est transitus, quia est generatio, non autem unio, quia non est relatio.

Respondetur quod *ly unio* in definitione mixtionis non significat ipsam relationem, vel modum unitivum extremorum, sed est actio unitiva et generativa tali modo, id est, ex congregatione miscibilium in unum, quod temperatur, et congregatur ex omnibus, non autem ex uno tantum generatur, et sic sub nomine unionis non intelligitur unio in facto esse, quæ de formali importat relationem inter extrema convenientia in unitatem, quam per unionem acquirunt, quatenus ad invicem se communicant, et ideo præsupponere debent actionem aliquam et passionem, quæ unum communicet alteri ad talem unitatem constituendam, non quidem per aliquem modum superadditum tanquam per rationem formalem, eo quod ista unitas in qua extrema conveniunt, non est formaliter unitas modalis, substantialis, vel accidentalis, et ideo non habet pro medio, et ratione formali modum, sed ipsam extremorum communicationem quæ fit per eorum entitates tali actione, vel passione applicatas; et ista actio sic tendens ad communicandum vocatur etiam unio activa, et hæc intelligitur nomine unionis in definitione mixtionis, non quidem actio uniens materiam formæ, quia hoc est commune omni generationi, sed

qua uniuntur miscibilia, ad hoc ut corrupta inter se unum mixtum faciant, et ideo stat, quod uniantur per mixtionem, licet corrumpantur, quia non uniuntur formaliter tanquam extrema componentia, sed virtualiter in uno tertio, quod resultat ex talibus miscibilibus in unum contemperatis.

Ad confirmationem respondetur, quod mixtio est transitus de forma miscibilium ad formam mixti, sed quia non est simplex transitus, sed congregativus ex multis, nomine unionis designatur, eo modo quo dictum est.

ARTICULUS II.

Quomodo mixtio fiat in liquoribus tam ejusdem, quam diversæ speciei?

Duplex est genus miscibilium, quædam sunt ut liquores, quædam ut elementa: in hoc articulo agemus de liquoribus, in sequenti de elementis. Circa mixtionem liquorum, supponimus posse in illis dari mixtionem late sumptam, quæ fit per solam aggregationem partium in unum locum, id enim manifeste constat experientia, cum videamus aliquos liquores in se confundi. Difficultas est in duobus. Primum, an inter istos liquores intercedat propria mixtio, quæ facit unum tertium ex corruptione eorum. Secundo, specialiter quando miscentur duo liquores ejusdem speciei, et eorumdem accidentium, an possit fieri vera et propria mixtio, cum corruptione miscibilium, et generatione unius tertii.

DICO PRIMO: Inter liquores diversæ species habentes contrarias qualitates datur vera, et propria mixtio. Conclusio est satis nota, sumiturque ex D. Thoma III p. quæst. LXXVII, art. VIII, ubi inquit: « Quod si per-

miscetur aliquis liquor in tanta quantitate, quod possit diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum, quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum, unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret, sed liquor permixtus esset alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solveretur species vini et esset liquor alterius speciei. » Et idem docet in IV, distinct. XII, q. 1, a. III, q. VI. Ratio est, quia inter liquores habentes contrarias qualitates concurrunt conditiones veræ mixtionis; siquidem ex parte quantitatis cum sint humida facile possunt dividi, ut advertit Philosophus in hoc primo libro, text. LXXXIX, similiter ex parte qualitatis habent quidditates contrarias, ergo sunt capaces alterationis corruptivæ, quia hæc fundatur in contrarietate qualitatum, et consequenter sic possunt temperari, ut corrumpantur liquores, et fiat unum tertium.

Circa liquores vero ejusdem speciei, qui non habent qualitates contrarias, et tamen ad invicem dividuntur, et copulantur, difficultas major est, nam ex una parte videtur fieri unum mixtum simpliciter ex illis quia fit unum numero per copulationem partium, sicut ex duabus aquis in uno vase fit una aqua numero. Ex alia vero parte non datur alteratio, cum non habeant qualitates contrarias, ergo neutrum alteratur alteratione corruptiva, quæ essentialiter requiritur ad mixtionem, corruptio autem non datur de uno individuo in aliud, quia simile non agit in simile, sed de una specie in aliam. Item, quia alias si fieret mixtio ex duobus liquoribus ejusdem speciei cum corruptione utriusque, sequeretur quod si vinum consecratum adderetur alteri vino consecrato, ibi desineret esse corpus Christi, cum tamen

utrumque consecratum sit. Sequela patet, quia fit alterum numero distinctum ab utroque miscibili, et illud tertium non est consecratum, quia de novo fit, ergo sub illo non manet corpus Christi. Quod a fortiori sequitur si aliquod vinum non consecratum misceatur consecrato, tunc enim etiam resultabit unum numero distinctum, quod consecrationi non fuit subjectum. Et ita aperte affirmat S. Thomas citato loco ex tertia parte. Quod confirmatur, quia ut dicitur cap. Cum Marthæ, de celebrat. missarum, quando vino consecrato infunditur aliud vinum, hoc secundum nec transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, ergo supponit decretalis, quod non fit mixtio ex liquoribus ejusdem speciei. Ad hoc

DICO SECUNDO: Quando conjunguntur duo liquores ejusdem speciei, non habentes qualitates contrarias, tunc non fit corruptio neque mixtio, sed sola continuatio unius liquoris ad alium, et in tali casu non dicit D. Thomas fieri aliud numero, vel destruere sanguinem sub speciebus consecratis si eis miscetur aliud vinum. Prior pars, quæ est communis Thomistarum ut asserit M. Nunno III part. question. LXXVII, articul. VIII, circa quartam conclusionem D. Thomæ probatur, quia ad mixtionem de qua in præsentiloquimur, non sufficit divisio partium, et continuatio earum, ut fiat mixtio sicut probat Philosophus in hoc primo libro, text. LXXXIV et LXXXV, alias mixtio esset aggregatio partium, et juxtapositio, et sic quando ignis aggenerat sibi aliud ignem, diceretur ibi fieri mixtio, cum tamen nullum fiat mixtum. Quare mixtio generativa essentialiter requirit alterationem miscibilium, et talem quæ corrumpat miscibilia, ut fiat; ergo ubi non est alteratio et corruptio penes formam non est mixtio, ubi autem non est

contrarietas qualitatum, non potest esse alteratio corruptiva, quia omnis corruptio in contrarietate fundatur, ergo inter liquores non habentes qualitates contrarias, non potest fieri mixtio, de qua loquimur in presenti, quæ fit ex contemperatione, et corruptione miscibilium, sed solum poterit dari continuatio unius partis cum alia, ut cum aqua miscetur aquæ nullo mixto producto, sed elemento continuato.

Secunda pars ex eodem contextu D. Thomæ quæst. illa LXXVII citata, art. VIII, dicit enim: « Quod corpus et sanguis Christi manet in speciebus, quamdiu illæ species manent eadem numero, quia consecratur hic panis, et hoc vinum, unde si fiat tanta permixtio liquoris cujuscunque, quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi. » Quæ verba procedunt ex suppositione, quod fiat mixtio liquoris cum liquore, et fiat permixtum, atque adeo supponendo corruptionem, et non solum continuationem utriusque liquoris. Et solutione ad II inquit. « Quod permixtione facta corrumpuntur species vel in toto, vel in parte, » ergo supponit fieri permixtionem corruptivam, et consequenter alterationem fundatam in contrarietate qualitatum, non vero solum continuationem specierum, de hac enim non dicit quod sufficit ad hoc ut desinat ibi corpus Christi, imo oppositum approbare videtur in IV, ad Anibaldu[m] disp. XII, quæstione unica art. III, ad III.

Dico TERTIO: Quando liquores sunt ejusdem speciei, sed habent qualitates contrarias, potest dari vera mixtio et corruptio miscibilium, et in hoc casu loquitur S. Thomas quod non manebit sanguis in speciebus consecratis, si miscetur alius liquor ejusdem speciei, qui fa-

cit ut sit aliud numero, ut patet ex verbis ipsius citato loco: « Si esset, inquit, ejusdem speciei liquor adjunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diversitas accidentium, puta si unum vinum esset album, et aliud rubrum, » ergo ex hac declaratione colligitur, quod loquitur S. Thomas de liquoribus ejusdem speciei habentibus diversa accidentia. Præsertim hoc adjuvatur ex alio loco in quodl. X, art. III, ubi tractans eandem quæstionem et impugnans eos qui dicebant per quamlibet guttam liquoris mixtam speciebus, desinere ibi esse sanguinem Christi inquit: « Quod ipsa additio non tollit essentialiam dimensionis, sed variat terminationem ejus, quæ quidem variatur non solum per additionem, sed etiam per divisionem, unde si talis variatio sufficeret ad hoc, quod desineret esse sub speciebus corpus, vel sanguis Christi, sequeretur quod per divisionem specierum, desineret esse similiter, quod patet esse falsum. » Quare secundum D. Thomam per additionem, vel continuationem liquorum non solvitur substantia miscibilium, vel specificæ, vel numericæ, per mixtionem autem solvitur, quia est cum corruptione. Et ex hoc probatur prima pars conclusionis quia in liquoribus ejusdem speciei si dentur accidentia opposita, ratione quorum unum sit activius altero, sicut indicat diversus color, vel acrimonia talium liquorum, tunc datur sufficiens contrarietas ad corruptionem in qualitatibus, et datur etiam divisio partium inter ipsos liquores, ut videmus fieri, ergo datur quidquid requiritur ad veram mixtionem, scilicet divisio, alteratio, et corruptio. Nec obstat quod sint ejusdem speciei, quia bene potest unum indivi-

duum sortiri qualitates oppositas alteri, ratione quarum agat ad corruptionem alterius in aliud tertium, in quo illæ qualitates maneant temperatæ, cum non solum unum individuum, sed etiam una pars possit agere in aliam in eodem individuo, ut patet in viventibus, deficiente enim alimento una pars agit in aliam, et consumit illam, unde redditur animal macilentum et lenue, ergo similiter poterit unum individuum esse fortius altero, sicut unum vinum est fortius altero, et per suam qualitatem agit in illud, et dissolvit illud, contemperando in uno tertio, tunc enim non agit simile in simile, quia dissimilia sunt secundum qualitates oppositas.

Ex quo patet ad rationes dubitandi a principio. Ad primum enim respondetur, quod quando duo liquores sunt omnino similes in specie, et qualitatibus, tunc unum non corrumpitur ab alio, nec miscetur, sed continuatur precedenti, et sic non fit aliquid distinctum numero, sed idem numero fit majus per continuationem, sicut animal crescit per augmentationem; si vero sint diversarum qualitatum, quæ possunt in unum contemperari, tunc fit mixtio, et resultat unum tertium individuum corruptis miscibilibus. Neque est necesse, quod omnis corruptio sit de una specie in aliam, sed potest esse de uno individuo in aliud, ut jam explicavimus.

Ad secundum dicitur, quod si vinum consecratum miscetur alteri consecrato, potest hoc fieri dupliciter; uno modo quando utraque species vini habet easdem qualitates, v. g. est ejusdem acrimoniæ, caloris, etc. alio modo quando habet diversas qualitates quarum una potest alteri misceri, et contemperari. Primo modo est certum quod non fit mixtio, sed continuatio unius speciei ad aliam, et sic non corrumpit

miscibilia; illis autem non corruptis, non desinit esse sanguis, sicut argumentatur S. Thomas, quia etiam si dividatur, et fiant plura individua ex speciebus vini, vel panis, non desinit ibi esse corpus Christi. Si secundo modo fiat, ita quod inter ipsas species vera mixtio conficiatur, tunc censent aliqui esse probabile, quod ibi desinat esse sanguis Christi, eo quod fit unum tertium individuum corruptis miscibilibus, et super illud non cecidit consecratio; quod videtur insinuare S. Thomas dicta quæstione LXXVII, et expresse tenet M. Nunno citatus, licet dicat non esse certum. Existimo tamen non loqui in illo casu s. doctorem, quo duæ species consecratæ miscentur, quia licet fiat unum tertium individuum, quia tamen omnes partes fuerunt consecratæ, totum remanet consecratum ratione partium, sicut e converso quando dividitur hostia, et fiunt duo individua, quodlibet retinet consecrationem, quia licet non fuerint consecrata ut duo individua, quia tamen fuerunt consecrata in suo principio a quo dividuntur et multiplicantur, ideo retinent consecrationem. At vero si vinum non consecratum habens diversas qualitates miscetur consecrato, ita quod totum pervadat, et perfundat, in hoc casu fit alterum individuum ex utroque, et cum non sit consecratum in omnibus suis partibus, et in se sit aliud numero distinctum ab eo quod consecratum fuit, probabile est desinere in illo loco esse sanguinem, et in hoc casu loquitur S. Thomas, sed quia non est omnino certum, vinum illud religiose servandum est.

Ad confirmationem respondetur, decretalem solum dicere, quod vinum appositum speciebus non consecratis non miscetur sanguini intus contento, nec illud perfundit, aut tangit, cum non sit ibi modo

connaturali et extenso : non tamen docet non misceri speciebus, ut fiat unum tertium, quo resultante desinat ibi esse sanguis.

ARTICULUS III.

Quomodo fiat mixtio inter elementa, et quomodo illa maneant in mixto?

De elementorum mixtione due possunt esse difficultates. Prima, an vere omnia quatuor elementa miscuantur, ita quod ex illis componatur mixtum. Secunda, quomodo dicantur manere elementa in mixto virtualiter, et non formaliter, et quid sit virtualiter manere.

De primo, disseruit Aristoteles in hoc libro secundo, c. VIII, text. 1., ubi ostendit omnia elementa esse in quolibet mixto, et ad illud concurrere. Et quidem quod omnia elementa possint esse in quolibet mixto, seu concurrere ad illud jam supra diximus ostendendo quomodo etiam ignis possit ad constituendum mixtum concurrere. Quod vero de facto in omni mixto inveniatur omnia elementa asserit Aristoteles citato loco; quod non est intelligendum, ita ut quando quodlibet mixtum generatur, ibi formaliter conveniant omnia elementa, cum hoc vix accidere possit, ut in animalibus, et his quæ generantur intra aquam manifestum est, sed sufficit quod virtutes elementorum, quæ in prioribus mixtis fuerunt contemperate, de uno mixto ad aliud transfundantur. Et quidem ex eo quod inveniatur in mixtis gravitas, manifestum est in illis concurrere elementa gravia, et non solum terram sed etiam aquam, quia alias haberent siccitatem sine aliqua humiditate, et sic non possent continuari, et coagulari, sed magis in pulverem reducerentur, quia nimia

siccitas in pulveres reducit. Alia autem duo elementa, scilicet ignis et aer etiam concurrunt in mixto, quia si terra, et aqua concurrunt, oportet quod concurrant contemperate, et alterata, non possunt autem alterari, ita ut temperentur, nisi a suo contrario, quia si frigus aquæ, verbi gratia, est in summo, non poterit temperari a calore modico, sed a concursu alterius caloris summi, qualis est in igne, si enim esset calor modicus consumeretur a frigore summo, non autem temperaretur. Ut ergo ex elementis fiat temperatio mixtorum, necesse est omnia elementa concurrere, si duo concurrunt ut terra, et aqua propter gravitatem mixtorum, et coagulationem, quæ elementa communiter dominantur in mixtis, ut infra dicemus ex D. Thoma, si quæ enim mixta ascendunt, ut quedam meteoræ ignita, aut etiam vapores, hoc non fit ex propria earum natura, sed ex virtute solis elevantis, vel ignis deferentis; unde vapores relictæ suæ naturæ resolvuntur in aquam, sicut etiam aves, licet virtute vitali volare possint, tamen naturali pondere decidunt.

Secunda difficultas longior est, pluraque habet explicatu difficiliora; nam cum mixtio fiat ex substantia elementorum et qualitatibus dubitatur, tam ex parte formarum substantialium, quam ex parte qualitatum quomodo fiat mixtio. Ex parte quidem formarum dubitantur duo. Primum, an formæ elementorum substantiales formaliter maneant in mixto. Secundo, an dato quod formaliter non maneant, an maneant virtualiter, et per modum gradus, sicut vegetativum, et sensitivum in anima. Ex parte vero qualitatum similiter dubitantur duo. Primum, an qualitates elementorum maneant in mixto formaliter, vel solum virtualiter ratione alicujus tertie qualita-

tis ex illis resultantis. Secundo, an hoc sufficiat, ut dicantur elementa manere in mixto.

Ad primam difficultatem respondetur, certum esse quod in mixto non manent actu formæ substantiales elementorum. Est communis fere omnium Philosophorum, licet Avicenna senserit manere formas elementorum substantiales integras in mixto, qualitates autem ad medium reduci. Averroes autem dixit manere easdem formas elementorum, sed non perfectas et integras, sed remissas et imperfectas. Nihilominus oppositum constat ex D. Thoma I part. quæst. LXXVI, art. IV ad 4 et II contra Gent. distinct. XV, quæstione I et communiter omnes sequuntur, de quibus videri potest M. Bannes in hoc primo libro de Generali. cap. X, quæstione II. Ratio est tum generalis, quia plures formæ substantiales non possunt esse in eodem composito, quia alias non esset per se, et simpliciter unum ut probatur in libris de Anima, quæstione I. Tum simpliciter, quia formæ elementorum non possunt simul actuare eandem materiam, quia petunt qualitates contrarias in summo, atque adeo non possunt compati in eadem parte materia. Quod si sunt in diversis partibus, quarum quælibet habet diversam formam elementum, non dicetur mixtum, sed congregatum ex pluribus partibus, habentibus diversas formas specie, quod non est facere unum mixtum per se. Similiter etiam non possunt manere istæ formæ imperfectæ, tum quia formæ substantiales non possunt intendi: et remitti, sed vel tota forma est in materia, vel nihil, si autem non remittuntur, ergo vel manent integræ, vel sunt aliæ, et non ipsæ formæ elementorum; ponere enim aliquas entitates quæ sint principia formarum, et non formæ ipsæ, omnino absurdum est, cum

ad compositum naturale solum concurrant tanquam extrema materia et forma, non autem alia entitas: præterquam quod totum hoc est ponere plures formas substantiales, licet imperfectas in eadem materia, et sic inciditur in idem inconveniens.

Quare ex substantia elementorum sola materia manet in mixto formaliter, formæ autem miscibilium corumpuntur, ideo enim alterantur miscibilia, ut corrumpantur, et sic explicavit D. Thomas in hoc libro primo, lection. XXV in fine definitionem mixtionis, quod sit *miscibilia alteratorum, et secundum formam corruptorum unio*. Nec Aristoteles unquam docuit miscibilia manere actu in mixto, sed in potentia et virtualitate, quod explicat ratione qualitatum suarum, in quibus tanquam in virtute formæ continentur, ut infra dicemus. Nec obstat, quod secundum hanc doctrinam ex duobus elementis, aut ex tribus poterit fieri mixtum, et non requiritur, quod semper concurrant omnia quatuor, quia illud quod habet aliquam qualitatem in summo, etiam poterit temperari per reactionem a minori qualitate, verbi gratia, frigidum aquæ quod est summum poterit temperari a calido aeris quod est excellens, vel ab alio minori, et sic fuit fundamentum quod Aristoteles et nos ante posuimus, omnia quatuor elementa esse necessaria in mixto. Respondetur enim, quod si elementum habens calorem in summo patitur ab opposito quod non est etiam in summo, licet primo congressu repatiatur, et contemperetur, non tamen sistit in illo temperamento, sed ulterius procedet usque ad vincendam illam qualitatem minorem, eo quod illa qualitas in summo habet activitatem fortioerem emanentem continuo a natura, et per illam continuam emanationem

vincet repassionem minoris, et remissioris qualitatis; unde ut redigatur ad temperamentum et mixturam permanentem, oportet quod alia qualitate etiam summa habente similem emanationem a natura resistatur illi, vel suppleatur a causa universali, id quod deberet fieri ab elementalibus, quod est recidere in idem, illa enim virtualiter est tale elementum. Quare si duo elementa concurrant ad aliquod mixtum, oportet alia duo opposita concurrere, ut temperamentum permanentem fiat ex utraque.

Circa secundam difficultatem discussio est inter Scotum, et Cajetanum, aliosque Thomistas, nam Scotus in II, dist. xv, quæst. unica, videtur concedere, quod formæ elementorum manent virtualiter in mixto, non solum virtualitate accidentali ratione qualitatum, sed etiam virtualitate substantiali ratione graduum, quia forma substantialis mixti continet formam elementorum per modum gradus sicut anima continet vegetativum, et sensitivum. Cajetanus vero prima parte, quæstione LXXVI, art. IV, et alii Thomistæ tenent formam mixti non continere substantialiter formas elementorum virtuali illa continentia, sed solum accidentaliter, et ratione qualitatum elementarium, ut postea dicemus.

Fundamentum Scoti est, quia etiam antecedenter ad mixtionem qualitatum forma ipsa substantialis est essentialiter forma mixti, ergo essentialiter est ex formis elementorum et continet illas, mixtum enim ut mixtum continet virtualiter miscibilia ex quibus est, alias esset corpus simplex, ergo cum antecedenter ad qualitates datur ista forma mixti, et corpus mixtum, antecedenter ad qualitates datur virtualis continentia elementorum. Deinde, quia qualitates, et formæ elementorum pe-

reunt, et id quod de illis manet est in gradu ita imperfecto quantum ad qualitates, quod nullo modo potest virtualiter continere ipsam formam elementi, siquidem qualitas mixta, et temperata non est virtus elementum, ergo non potest elementum manere in mixto virtualiter ratione qualitatum, siquidem qualitates quæ manent non sunt virtutes elementorum, sed deficientes ab illis, ergo solum possunt contineri elementa in mixto virtualiter ratione gradus substantialis. Quod si sufficit retinere qualitates elementorum debilitatas, et in statu imperfecto, ut dicantur elementa manere in mixto, posset aqua quando calefit dici mixtum, quia retinet omnes quatuor qualitates, licet in statu imperfecto, scilicet calorem quia calefit, et aliquid frigoris quia totum non expellitur, et humidum in gradu excellenti cum aliqua siccitate, tum naturaliter habita, tum ab igne augmentata.

Fundamentum vero sententiæ Cajetani ex eo desumitur, quia si daretur in forma mixti continentia illa substantialis elementi, oporteret quod mixtum haberet gradum elementalem sicut anima habet gradum vegetativum, ita quod natura mixti esset principium operationum propriarum mixti et operationum propriarum elementarium ratione gradus elementalis, sicut ratione gradus vegetativi operatur anima, ea quæ sunt propria natura vegetantis vere enim et proprio nutritur, generat, etc. et sic lapis, v. g. ratione gradus elementalis deberet ignire, aut madefacere sicut aqua, quod nequaquam habet, ergo non habet gradum illius elementi siquidem non habet operationem. Præterea, vel contineret mixtum per modum gradus omnes formas quatuor elementorum, vel solum alicujus determinati elementi. Si om-

nium, deberet omnium operationes exercere, quæ tamen ob sui contrarietatem se impedirent, sicut ob gradum ignis deberet ignire, ob gradum aquæ infrigidare, et humectare, etc. quod est contra experientiam. Si alicujus tantum elementi, ergo jam virtualiter contineret reliqua elementa sine continentia substantiali virtuali, atque adeo bene stat aliqua elementa contineri in mixto, et non ratione gradus substantialis, idem ergo dicitur de omnibus elementis. Denique, elementum non est aliquid commune respectu mixtorum, sicut vegetativum, aut sensitivum respectu animalium, sed elementa sunt corpora conditum contra mixtum: ergo non potest contineri elementum in mixto tanquam gradus.

Ad primum fundamentum Scoti respondetur, ante qualitates dari formam mixti, quæ ex elementis seu miscibilibus corruptis resultat, et quia fit ex corruptione illorum, non continet ea per modum gradus continentia substantiali, sicut neque liquor mixtus liquores ex quibus miscetur, sed solum illa forma, quæ resultat ex talibus miscibilibus continet virtualiter, et radicaliter qualitates illas, quæ erant in elementis seu miscibilibus, et hoc modo dicitur continere virtualiter accidentaliter elementa, non virtualiter substantialiter.

Ad secundum respondetur, quod formæ elementorum pereunt in substantia, et manent in virtute seu qualitate, non quod maneat eadem qualitas numero, sed quod succedat aliqua similis a primis miscibilibus derivata. Et cum instatur, quod illa qualitas, sic derivata non est virtus elementi, sed mixti, cum sit modificata et temperata, respondetur esse virtutem elementi non in statu perfecto, sicut est in ipso elemento, sed cum aliqua modificatione, sicut ali-

quid ab elemento derivatum, ejusdem tamen essentialis rationis cum ipsa virtute elementi, si enim haberet illam in summo, haberet illam per modum ultimæ dispositionis ad elementum, et sic non esset virtus participata, sed propria ipsius elementi. Quia tamen est ab elemento ipso derivata, licet modificata juxta naturam mixti, dicitur virtualiter continere elementum, sicut multæ qualitates quæ a cælo participantur in inferioribus, ut lux vel aliæ similes participative sunt qualitates cælestes, licet non in ea perfectione, qua in cælo sunt. Quod vero additur, quod hoc modo posset unum elementum dici mixtum quando participat omnes qualitates elementales, negatur consequentia, quia quamdiu tale elementum non corrumpitur, licet disponatur per qualitatem alterius elementi ad corruptionem, non potest dici mixtum, quia non habet illas qualitates, ut redactas ad temperamentum ex vi suæ formæ, sed quasdam ut proprias, alias ut disponentes ad corruptionem.

Circa tertiam difficultatem, aliqui existimant, qualitates elementorum non manere formaliter in mixto, sed virtualiter ratione alicujus qualitatis mixtæ seu mediæ virtualiter continentis illas extremas, et hoc ideo, quia forma mixti substantialiter est una, ex corruptis miscibilibus consurgens, ergo debet ei correspondere tanquam propria una qualitas etiam mixta, quod etiam videtur asserere Aristoteles in hoc secundo libro, text. XLVIII, dicens quod ex calido et frigido fit unum medium, quod non est alterum illorum simpliciter.

Nihilominus oppositum dicendum est, manere scilicet in mixto formales qualitates elementorum, verbi gratia, formalem calorem, vel formalem frigus, redactas tamen ad mediocritatem. Itaque cum frigidum

et calidum miscentur, utrumque amittit intensionem suam, quod pertinet ad modum, sed non amittit substantiam suam, scilicet rationem ipsam caloris et frigoris, sine illa tamen perfectione, et excellentia intensionis, et sic censet S. Thomas 1 part. quæst. LXXVI, artic. IV ad 4: «Manent, inquit, qualitates propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium,» et q. v de Malo, art. v ad 6 inquit: «Quod ita contrariæ sunt qualitates in corpore mixto, sicut sunt contrariæ elementa in mundo.» Unde sumitur ratio, quia in corpore mixto videmus qualitates non solum quoad sensum habere eandem immutationem, quam in elementis, scilicet calidi et frigidi sed etiam pugnare, et contrariari inter se, sicut in corpore animalis contrariæ qualitates pugnant et agunt ad invicem, ergo signum est formaliter manere qualitates elementales. Denique, si istæ qualitates non essent formaliter in mixto neque, esset formalis contrarietas, et consequenter non corrumpetur mixtum ex causa intrinseca, si quidem corruptio accidit penes contraria, quæ mutuo in se agunt, una autem qualitas ex omnibus conflata non agit in se ipsam, ut se corrumpat, ergo si intrinseco corrumpuntur, ab intrinseco habent contrarietatem et consequenter qualitates elementorum formaliter, quia in illis solum contrarietas ista exercetur.

Ad oppositum fundamentum respondetur, non debere formæ mixti correspondere unam qualitatem, sed sufficere quod correspondeat una proportio, et temperamentum plurium qualitatum, eo quod ex earum temperamento consurgit mixtum, et ideo retinet illas ad mediocritatem redactas, quia tamen forma mixti est una, poterit etiam sortiri aliquam qualitatem, quæ una fit, verbi gratia, aliquam virtutem activam, sicut

magnes attrahit ferrum, vel aliquem colorem proprium ipsius mixti, aut aliquid simile, sed istæ qualitates consequuntur formam mixti, non ex earum temperamento mixtio fit.

Ad testimonium Aristotelis respondetur, Aristotelem non dicere, quod ex calido, et frigido fit unum medium, quod non contineat formaliter ipsum frigus, et calorem, sed quod utrumque continet in uno medio, id est, redacto ad unum temperamentum, vel mediocritatem, non vero quod aliqua tertia qualitas resulet eminenter continens frigus, et calorem.

Instabis: Quomodo sunt qualitates illæ elementorum, si quidem propriæ passiones nequeunt communicari aliis subjectis, istæ autem qualitates elementorum sunt propriæ passiones eorum; et dato quod possent communicari, non tamen exercendo contrarietatem, quod impedit ut formaliter sint simul, adhuc autem ut remissæ, contrariantur illæ qualitates. Respondetur, quod propriæ passiones alicujus bene possunt esse in proprio subjecto essentialiter, in aliis autem participative, sicut lux est in sole ut in proprio subjecto connaturaliter, in aere autem participative. Ad aliam partem argumenti respondetur, quod qualitates remissæ exercent quidem contrarietatem inter se, sed non perfecte, et adequate, sed imperfecte, et quantum ad aliquid, quia enim remissæ sunt, non subiciunt sibi totaliter, nec replent totam latitudinem subjecti, unde non omnino se expellunt ab illo, id enim esset simpliciter, et perfecte contrariari, de quo latius dicemus infra q. x. Opposito autem modo se habet in qualitatibus intensis. Datur tamen aliqua contrarietas in qualitatibus remissis, quia aliquo modo ad invicem agunt, et patiuntur, quod sine ali-

qua contrarietas fieri non potest, et ita est ibi contrarietas essentialiter, sed non in omni perfectione.

Circa ultimam difficultatem respondetur, elementa dici virtualiter manere in mixto, quia manent qualitates quæ sunt virtutes elementorum in ipso. Ita sumitur ex D. Thoma 1, de Gener. lect. XXIV in fine, et i p. q. LXXVI, a. IV ad 4, ubi inquit: «Quod secundum Philosophum in 1 de Gener. formæ elementorum manent in mixto non actu, sed virtute, manent enim qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium.» Et videri etiam potest II contra Gent. c. LV, et opusc. XXXIII, et aliis locis. Itaque elementa manent in mixto non formaliter aut virtualiter substantialiter, sed virtualiter accidentaliter, sed virtualiter aliqua forma manere in sua dispositione non ultima, ultima enim semper est annexa ipsi formæ, sed remota, et ad mediocritatem redacta. Ratio sumitur ex dictis, quia non est alius modus continendi elementa, nisi vel substantialiter, vel accidentaliter; substantialiter non possunt contineri elementa in mixto, neque formaliter, neque virtualiter tanquam in gradu: ergo virtualiter accidentaliter eo modo quo dictum est.

Sed dices: Virtus manens in mixto non potest producere elementa, nec enim calor lapidis vel ferri est talis ut possit producere ignem; ergo prout est in mixto non continet virtualiter elementa, illud enim continet virtualiter, quod continet aliquid tanquam in virtute productiva illius. Secundo, mixtum factum ex liquoribus non continet illos, eo quod non potest illos producere ex quibus factus est; ergo neque dicitur continere elementa virtualiter, quia elementa producere non potest. Tertio,

quia si ex eo dicitur mixtum continere virtualiter elementa, quia continet qualitates eorum in gradu remisso, etiam dicitur mixtum continere virtute omnia mixta, et unum elementum aliud; consequens est falsum, ergo. Sequela patet, quia mixtum continet omnes quatuor qualitates, ex quibus alia mixta componuntur, similiter unum elementum continet qualitatem alterius, verbi gratia, aer habet calorem non in summo sicut ignis, sed minus intus, ergo dicitur continere ignem virtualiter, quia in gradu remisso continet virtutem ejus, scilicet calorem.

Ad primum respondetur, virtutem mixti posse virtualiter producere elementum, non immediate, sed mediate, et crescente dispositione, quam habet, quæ non est ultima respectu elementis, sed remota ut diximus, et ita crescente ejus intensione, et perveniente ad eam perfectionem, quam habet in elemento, poterit produci ex mixto, et sic ab extrinseco habent mixta resolvi in elementa saltem mediate.

Ad secundum respondetur, quod quando unum mixtum fit ex aliis mixtis, ut ex liquoribus, si retinet non solum qualitates elementales, quæ sunt communes omni mixto, sed etiam particulares, et proprias illorum liquorum, dicitur etiam continere illos liquores virtualiter, sicut vinum temperatum ex aqua continet ejus qualitatem, si vero temperetur ex alio liquore, illius qualitatem imbibit. Si autem ita solvantur species liquorum, quod non manent qualitates propriæ, sed solum qualitates communes elementorum, tunc non dicitur mixtum virtualiter continere illa mixta. Et quia certum est qualitates elementales semper manere in omni mixto, quia sunt omnibus communes, non autem est certum manere semper proprias vir-

tutes mixtorum in aliis mixtis, ideo absolute dicitur, quod elementa manent virtualiter in mixto, non vero quod unum mixtum maneat in alio.

Ad tertium respondetur ex dictis, non posse dici, quod unum mixtum continet virtute alia mixta, nisi eorum qualitates retineat, quod non semper fit, sicut si aliquid fiat ex magnete non continet virtutem attractivam ferri, continet autem qualitates, seu virtutes communes elementorum, et ideo absolute dicitur de mixtis, quod continent elementa, id est, proprias virtutes elementorum. Unum autem elementum non dicitur continere aliud virtute, tum quia qualitas, quam habet, non derivatur ex alio elemento, et sic non est virtus ejus; tum quia, etsi unum elementum habeat aliquid de una qualitate alterius, sed non de omnibus, quæ in tali elemento sunt, sicut aer licet contineat aliquem calorem, qui invenitur in igne, non tamen continet aliquid de siccitate ignis, et sic non continet virtute elementum ignis, quia non participat de omni ejus qualitate, sed solum de parte. Plura de mixtis dicemus quæstione xi, hic enim non de natura mixtorum, sed de mixtione agimus.

QUÆSTIO VII.

DE CONDENSATIONE ET RAREFACTIONE.

ARTICULUS I.

Utrum rarefactio, et condensatio terminetur primo, et per se ad qualitatem?

Nihil notius est densitate, et raritate in corporibus, id enim quotidie videmus, et experimur, earum

quoque sensibiles effectus penes quos definiuntur, seu describuntur notissimi sunt, scilicet dilatatio partium quantitatis in raro, contractio, seu compressio in denso. Unde Philosophus in prædicamento definit rarum esse *id quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus*: densum autem e contra *quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Unde autem proveniat quantitati sic disponi, quod possit multum materiæ sub parvis dimensionibus concludere, vel parum materiæ sub multis, an ex aliqua qualitate superaddita, vel ex aliqua alia entitate, vel modo, obscurum est et difficile.

In eo autem auctores divisi sunt, et reducuntur omnes opiniones ad tres. Prima affirmat, novam quantitatem acquiri per rarefactionem, et perdi per condensationem. Quod aliqui ex antiquis sic acceperunt, ut dicerent in quacunq[ue] condensatione, vel rarefactione totam quantitatem perdi, et novam subrogari. Alii vero solum partem aliquam acquiri, et partem perdi. Quod tribui solet Scoto in quarto, distinctione duodecima, quæstione quarta, Mars. Hervæo et aliis, quos citat P. Rubio tractat. de rarefact. quæstione prima.

Secunda sententia affirmat raritatem, et densitatem fieri penes diversam positionem partium, et ad illam terminari. Sed hoc explicatur dupliciter. Primo, dicendo quod raritas, et densitas fit per solam compressionem, aut dilatationem partium, eo quod in corporibus inveniuntur pori, id est, subtilissima quedam foramina, quæ aliis subtilioribus corporibus replentur, et cum fit addensatio constipantur isti pori, cum vero fit rarefactio laxantur, et totum hoc perlinet ad positionem partium in loco secundum majorem, vel minorem compressionem,

Alii vero sic explicant, quod addensatio, et rarefactio non consistunt in sola compressione, vel dilatatione partium, quod pertinet ad situm, sed in ipsa præsentia locali majori, vel minori, quod pertinet ad extensionem in ordine ad locum seu ad ipsum ubi.

Tertia denique sententia affirmat condensationem, et rarefactionem non terminari ad quantitatem, vel ad ubi, sed ad quamdam qualitatem sic disponentem ipsam quantitatem, quod petat majorem extensionem ad locum vel minorem. Itaque non negat hæc sententia dari in densitate contractionem præsentia, et extensionis localis, in rarefactione autem dilatationem, sed dicit hoc esse effectum ortum ex aliqua dispositione quantitatis, quæ sic disponitur per aliquam qualitatem, ut illum effectum habeat, sicut quantitas terminatur per superficiem, et inde resultat qualitas aliqua quæ est figura. An vero semper requiratur ista qualitas, ut detur iste effectus, vel solum connaturaliter petat illam, postea disquiretur.

DICO PRIMO: Addensatio, et rarefactio non important aliquam additionem, vel diminutionem quantitatis, neque totalem, neque partialem. Assertio est constans inter Auctores secundæ, et tertiæ sententiæ, quos postea referemus, sumitur ex diffinitione Philosophi supra allata: *Densum est quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Ubi nomine dimensionis non intelligitur ipsa quantitas, ut ordinat partes in ordine ad totum, sed ut extendit, et diffundit illam in ordine ad locum, ratione cujus sumitur externa mensura quantitatis, seu dimensio ejus, nam si loquamur de ipsa quantitate secundum se, hæc non additur, nec tollitur, nisi addita, vel ablata materia, cujus partes extendit; unde repu-

gnat habere multam materiam, id est, multas partes materiæ, et non multam quantitatem, vel e contra. El fundamentum conclusionis hinc desumitur, quia quando acquiritur nova quantitas, vel pars quantitatis, acquiri debet nova materia, in eadem enim parte materiæ non potest dari nova quantitas, vel pars quantitatis, sic enim penetraretur cum præcedenti, ergo oportet pro nova quantitate, novam addi materiam, quæ de novo ordinetur in ratione partis, et ideo semper augmentatio est conjuncta cum aliqua aggeneratione, vel nutritione, ergo si in rarefactione, et condensatione, nova pars quantitatis adderetur, vel diminueretur, oporteret etiam addi novam materiam, et sic deberet fieri nova mutatio substantialis, quod tamen est falsum, cum videamus rareferri, vel condensari aquam et ceram, sine nova generatione aquæ vel ceræ, alias maneret augmentata illa materia, essetque multum materiæ, non parum, sub magnis dimensionibus contra definitionem, et ideo optime S. Thomas. rarefactionem comparavit intensioni, sicut enim intensio fit non addita qualitate, nec in diversa parte quantitatis, ita rarefactio fit eadem materia manente, et non augmentata. Denique, si fieret nova accessio materiæ seu substantiæ sicut et quantitatis, oporteret disponi illam materiam aliis accidentibus ut videlicet converteretur, vel adderetur præcedenti, sicut videmus fieri in nutritione, et aggeneratione, sine quibus tamen rarefactio fit, et condensatio, et sine corporum circumstantium corruptione, ergo non aggenerat sibi novam substantiam, et consequenter neque novam quantitatem.

DICO SECUNDO: Rarefactio, et condensatio non terminantur solum ad ubi, sive ad distantiam, vel propin-